

Alte Drucke

Opera

ANGELI || POLITIANI || OPERVM || TOMVS PRIMVS. || Epistolarum libros XII. ac
Miscellaneorum || Centuriam I. complectens. || Indicem rerum memorabilium
calci || operis adiecimus. ||

Poliziano, Angelo

Antverpiae, 1565

Angeli Politiani Miscellaneorum Centvriae Primae Ad Lavrentium Medicem
Praefatio.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-155013

ANGELI POLI- TIANI MISCELLA=

NEORVM CENTVRIAE

PRIMAE AD LAV=

RENTIVM ME=

DICEM

PRAEFATIO.



VM tibi superioribus diebus, Lauren-
ti Medices, nostra hæc Miscellanea in-
ter equitandum recitarem, delecta-
tus arbitror nouitate ipsa rerum, &
varietate non illepida lectionis horta-
ri cœpisti nos, vt vnâ saltem ex eis
Centuriam (nam centenarius libri singuli capitibus expli-
cantur) publicarem. Quod nunc vtique simul aucto-
ritate tuâ, qua maior, nobis quidem, nulla in terris est,
simulratione adducti facimus: quoniam nostra ista iam
nonnulli vel cum puluisculo conuerrunt, sic vt alijs pri-
dem, sibi que nostrorum titulo laborum nimis placeant.
Quamquam scimus inuidia magna fore hos libros, &
multum sermonis subituros, vt qui de magni nominis au-
ctoribus liberè pronuncient. Sed non id nostrum exem-
plum. Non scriptores fermè omnes sic suas tuentur para-
teis, vt alienas oppugnent, ac laudis occasionem ple-
runque de aliorum erratis petant: tum sæpè à tenuioribus,
& gregarijs, velutique postremæ notæ, qualis ego,
vel Cluuienus, etiâ procures illi (vt ita dixerim) et ante-
signani quidam litterarum suggillantur. Vetus est au-
tem dictû, Conscientia mille testes. Scit illa prorsus nihil

Ff 5

hic

hic odio datum, nihil stomacho, cādidē omnia, & simpli-
citer, nihil aut insectanter, aut maleuolē, nihil oblatran-
di studio, nihil ostentandi voto protulimus, animoq; sem-
per ad probandum (si liceret) quā ad improbandum
propensiore fuimus. Neque videlicet strophis, aut cuni-
culis, sed libero examine, libera veritatis fronte rem ges-
simus. Ac non id quæsiuimus, vt aliquam doctis homini-
bus veluti labeculam aspergeremus, sed id cauimus po-
tius, ne sub illorū auctoritate studiosorū fides pericula-
retur. Denique in eos potissimū cuneus hic ex professo
directus, in eos hic aries ex destinato temperatus, qui
contra veri faciem, pro vernaculo quidem sibi, sed ima-
ginario tamen sensu frontem durāt: eos acie styli maxi-
mē compungimus, qui stylum vertere, hoc est, qui sua
errata dispingere non didicerunt. At inordinatam istā,
& confusā quasi siluā, aut farraginē perhiberi, quia
non tractim, & continenter, sed saltuatim scribimus, &
vellicatim, tantum abest vti doleamus, vt etiam titulū nō
sanē aliū, quā Miscellaneorū exquisiuerimus, in quēis
Græcum tamen Helianum, Latinum sequimur Gellium,
quorū vtriusque libri varietate sunt, quā ordine blana-
diores. Quanquā me Clementis quidem Alexandrini
Pontificis, apostolicique viri commentaria, quæ Στρα-
τωνας, quasi stragula picta dixeris, inscribebantur, aliū
profecto nobis titulum, nisi varietatis istius insinuabāt.
Etenim de Aristoxeni taceo commentarijs, quos pari-
fermē titulo citat eo volumine Porphyrius, quod in Har-
monica Ptolomæi cōposuit. Deniq; si varietas ipsa, fa-
stidij expultrix, & lectionis irritatrix in Miscellaneis
culpabitur, vna opera reprehendi rerum quoq; natura
poterit, cuius me quidem profiteor tali disparilitate di-
scipulum. Quod si ad omnē se minutie demittunt, hoc ve-
ro

Helian⁹.
Gellius.
Varietas
blanda.
Clemens
Alexandri
nus.

Pò apud Latinos exemplo etiam Caesaris, Varronis, Mes-
 sale, Ciceronis, Plinij, Quintiliani, aliorumq; similiū fa-
 cere licet, quos æmulantibus & errare honestū. Quare
 quod istos veluti patricios decuit, etiam me quasi mino-
 rū gentium nō dedecet. Par adēo celebritas nominum,
 vel Græca inserit, vel ex commodo interpretatur, idq;
 nunc ad sensum, nunc ad verbū, quod hīc vtrunq;. Iam si
 cui parum quæpiam enucleata fortasse etiam nimis du-
 ra, obscuraq; videbuntur, certē ijs nec ingenio satis ve-
 geto, nec eruditione solida, fideliq; fuerit. Sicubi bar-
 bara quædam, & obsoleta deprehenduntur, ea verò de
 industria dispersimus, etiam vt barbaris & ineruditis
 placeremus, & fieret liber corrosa vndiq; gratiola ven-
 dibilior. Siqui remotiora dicent hīc inueniri vocabula,
 quā vt sumta credantur de medio, nē isti arbitror sen-
 tentiā suā mutabunt, cū adusq; mediū litteraturæ pro-
 mouerint. Nec enim desunt, quibus etiā (vt ait M. Tul-
 lius) alabastrus vnguenti plena putere videatur. Tum in
 hoc genus scriptionibus, quæ non se populo venditant,
 sed paucis modò parantur, vsus istiusmodi reconditæ su-
 pellectilis, præsertim verecundus, minimè improbatu-
 r bonis. Nec enim renouare sit probrum, quæ iam penè
 exoluerunt, si modò hæc ipsa nō vetustescere adhuc, sed
 veterascere de integro possint. Siquem nonnulla interim
 offendunt eloquendi diuerticula, minus fortasse homini
 nota, qui decē tantū Ciceronis paginas, nihil prætereā
 lecitauerit, utiq; ab hoc ego ad eruditos prouoco: præ-
 cipuè credo laudaturos, quæ ab ipso improbabantur.
 Nihil autem forsan intolerabilius, quā vt de te senten-
 tiā ferat indoctus, qui tamē sibi ipse doctissimus videa-
 tur. Siquis vbi quid refellitur, multarum vel auctorita-
 tum, vel rationum moles desiderat, at victoriam sciat
 illis

Vetustef-
 co.
 Veteraf-
 co.

Confucius.

Proverb.

Homo.
Humanitas.

illic à nobis, non victoria quæri satietatem. Si longiuscula capita alia, breuiuscula rursus alia putabuntur, credamus hanc quoque esse legem noui operis, vt æquale habeat nihil, nusquam sibi sit par, semper dissimilitudine claudicet, vnamque istam regulam tueatur, nequid ad regulam, nequid ad perpendiculū, libellamque reuocet. Si liberior stylus insolentis existimabitur naturæ forsan benignior interpres simplicitati potius tribuet, quæ nec ingenuos dedecet. Sicubi porrò consuetudo refragabitur, at veritas, quæ nugæ nō facit, aut veritatis vicaria consuetudo melior patrociniabitur. Nam & sumtum consuetudine dicitur, quod aduersus auctoritatem sit receptum, & error sæpe consuetudinis obiectatur à doctis. Tum pulchrè sic ait quidam. Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est. Denique si paucula respersimus interim scrupulosa, & anxia, quoddam verius, subacida, vel ex philosophia, cuius iam pridem sumus candidati, vel ex orbe illo disciplinarum, quæ studio sapientiæ famulantur, at ea stomachum tamen lectoris prædulcibus marcentem recreabunt fortassis, & exacuent. Nam quò hæc omnia grata sui vice conspirent, & quodam velut antitheto federentur, penè de calcaria (quod dicitur) in carbonariam decurrimus, & id operam dedimus, vt alternatim deinceps inter se contraria quoque subsequerentur, quæ nos querelæ istiusmodi eximerent. Nec enim defieri apud nos etiam patimur, quæ sint amœna magis, & oblectatoria, ne dixerim illecebrosa, quàm vel utilia, vel necessaria: siquidem est (vt ait Varro) aliud homini, aliud humanitati satis, etiàmque citra emolumentum. Speciosa interim petuntur, non hercule minus, quàm sine specie compendium. Ergo vt agrestes illos, & hircosos quædam ex his imposita, & rudia delectant

bunt, exasceatque magis quàm dedolata, nec modò li-
 mam, sed nec runcinas experta, nec scobinas, ita ediuer-
 so vermiculata interim dictio, & tessellis pluricolori-
 bus variegata, delictiores hos capiet, vofos, & pu-
 micatos, ne conflatis vtrinq; vocibus, & æquabili vel
 plausu, vel sibilo, aut ad cælum efferar, aut ad humum
 deiiciar. Medijs autem inter hos, & neutro notandis,
 quasi quidem diuersorum Cinnus (vt ait Cicero) satisfac-
 ciet, non vno aliquo excellens, & omnium tamen par-
 ticeps. Nec enim gustus idem omnibus, sed suum palatū
 cuique. Tum credo & exspuent in conuiuio quidam,
 pro fastidioso, & vesco, quod mox in culina pro suau-
 liguriant, & opimo. Nos ista certè non foro, & curiæ,
 sed cubiculo, & scholæ parauimus, eoque studuimus,
 nescio an & præstiterimus, vt siquæ hîc essent, omnino
 faciles essent, & simplices munditiæ, non operosa, &
 pigmētata lenocinia: color, nitorq; verus, & ingenuus,
 non ascitus: & ex arcula congruens habitus, & expe-
 ditus, non onerosus, & laciniolosus. Postremò cuicuius-
 di exeant, quomodo hæc accipiantur, minime profectò
 recusamus: sed nec opinor euademus communem illam
 scribentium sortem, malè audiendi, sit modò ita cordi
 lectoribus. Quinimo isti aleæ caput obiectamus, neque
 patrociniū respicimus, quod vltro nobis ademinus cen-
 sura. Decernaturque potius in nos, traducamur, vexemur,
 quam non litterarum publica fraus, quarum nobis
 est honor proprijs vtilitatibus antiquior, etiam nostro
 aliquo, vel fame, vel otij dispendio redimatur. Nam
 quò ista quæso studiorum communium professio, si iam
 ventum ad hæc vsque est, vt quod officium studijs vni-
 uersi debemus, cessare omne tamen suspitione degene-
 ri patiamur? Quo pacto vel durare vltà, vel esse iam
 potest

Inuidia.

poterit honestarum litterarum sinceritatis, soluta peccatus censura, dum sic æquæ omnes inuidiam perhorrescimus? Quanquam (quod ad me attinet) utinam labori meo non contentus potius, quam inuidia debeatur. Illud enim propè in votis est, si modò, quòd ait Lilius, Inuidia velut ignis alta petit. Quin agitedum studiorum cultores optimi, pro se quisque alacres, gramen hoc inextinguibile, quo bonæ fruges humanitatis præfocantur, auellite, subnascentesq; sacris stirpibus, quasi perniciosissimas hederas, & omnem earum succum lapsibus erraticis exsorbentes, abrumpite penitus, & detruncate. Non desunt interpolatores veritatis, ne desint quoque redintegratores: existat vindex aliquis rogo, & patronus periclitantium disciplinarum. Nam ego ut vnus è medio, quid mihi liberum sit, utique experiar. Faciam necne operæ pretium, post video. Quorsum tamè fluxerit, aut quocunque res ceciderit, æqui boni faciam, planeq; malignitatum omnium, & obrektionum venena, non deuorabo modò, sed (quo sum stomacho) etiam concoquam: certè veritatis hunc esse quasi genium, simul atq; in publicum appareat, ut odiosa, inimicæque sit vulgo.

Mussent,
palā mu-
tate non
audeant.
Ex Per-
fio.

Conniueant igitur alij licet, & dicere verum mussent, ego vnus profectò (quidquid erit) non dissimulabo iudicium, non suppressam quæ sensero, non indulgebo iam talibus patientiam, sed vel huic libello meo, saltem semilibere, sic insurrabo: Vidi, vidi ipse libelle, cottidieq; video multa in litteris fieri capitalia, compilari subdole aliena, confingi ad libidinem, quæ cui commodum, ascribi etiam idoneis, quæ nec agnoscant, allegari qui non extent auctores, citari quin etiam pro vetustis, nullibi comparenteis codices, compleri libros omneis operosissimis vanitatibus, falsa pro veris,

ascitaa

ascita pro natiuis, nouitia pro vernaculis supponi, polui, adulterari, oblini, incrustari, distorqueri, confundi, precipitari, interuerti omnia, nulla fide, nullo nec pudore, nec iudicio, quodque his omnibus pestilentius, occasione quoque recētis artificij, quālibet stolidissimas opinioniones in mille voluminum traduces momēto propagari: postremò (vt semel dicam) etiam nunc multos auricularas habere asini. Dicat hīc aliquis: Quid tu autem? Fateor equidem, possum falli, vt humanus, sed neminē profectò sciens fallo, & vt mendacium fortasse dico, sic certe non mentior. Tum egomet mī ignosco, Meuius inquit, imò autem (extra iocum) nec egomet mī ignosco, & si- Aul. Gell.
quid indoctius, incautiusq; protulero, refutari à quouis cupio, refutaturus ipse me, si fuero admonitus. Non enim sic me peruersè amo, vt errare alios malim, quā inno-
tescere quòd errem. Sed ex eorum sum numero & ipse, qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt. Ac de isto quidem fors viderit. Illud verissimum, si domi commentarios istos diutius, atque in manibus habuissem, et regustare interim ex interuallo licuisset, lōgē instructiores fuisse eos, locupletiores, adminiculatiores, prodituros. Videlicet hoc illud est præcipuè studiorū genus, quod vigilijs augeat, vt cui subinde ceu fluminib⁹ ex decursu, sic accedit ex lectione minutatim quo fiat vberius. Tum incōdita nūc quoq; pleraq; ineliquata, in discussa, nō rotūda, nō tornata adhuc, sed quæ aurē prorsus præterierint, vt pote restrictim cogitata, & ex tempore potius, quā à cura, quanquā ex abundanti penē styli negotiū curat, & elocutionē concinnat, quæ cana & veritas, & fides præcipuè sollicitat. Enimvero ne putent homines maleferiati nos ista, quæ quæ sunt, de sæce hausisse, neq; grāmaticorū transiluisse lineas, Pliniano
statim

statim exemplo nomina prætexuimus auctorum, sed hō-
 nestorum, veterumq; duntaxat, vnde ius ista sumunt, et
 à quibus versuram fecimus, nec autem, quos alij tantum
 citauerint, ipsorum opera temporibus interciderint, sed
 quorum nosmetipsi thesauros tractauimus, quorum sua
 mus per litteras peregrinati, quanquàm & vetustas co-
 dicum, & nomismatum fides, & in aes, aut in marmore
 incisæ antiquitates, quæ tu nobis Laurenti suppedita-
 sti, plurimum etiam præter librorum varietatem, non
 stris commentationibus suffragantur. Vt autem vel ex
 emplo doceremus circulatorum præstigias, & imposui-
 ras omneis esse tollendas, refrænandamque ad eò quo-
 rumpiam lasciuiam, quæ iam sicuti cancer latè serpit,
 inaniter de præscripto & licenter egrediendi, nusquam
 aliquando veteris scripturæ testimonium citauimus, ne-
 quid adscriptitium, neue quid vsquam superduclitium
 præualeret, quin sua quòdque facie repræsentauerimus,
 & eas apposuerimus notas, vnde exquiri penitus vsque
 à stirpe possit auctoritas. Atque vt muneris huius non
 stri nullæ prorsus appendices desiderentur, etiam capi-
 ta ipsarum, titulis inclusa breuissimis, sed in quæ ma-
 ior quàm pro numero utilitas concenturiauimus, &
 ceu breuibus ceris ingentes summas calculorum mo-
 re collegimus, quò negligentie delicati lectoris ipsi
 potissimum subscriberemus. Proinde sicuti sub Aida-
 cis clypeo Teucer Homericus, ita nos utique sub um-
 bra tui nominis latitantes, centuriatim dabimus in bar-
 baros impressionem. Ita editione subinde aliqua, vel
 æquis, vel iniquis mos geretur. Et quadam pensante vi-
 ce, sicut illis quod osculentur, ita his abunde suppara-
 binus, quod mordeant. Mordebunt autem puto no-
 stra vel rabiosi quidam, quos eleganter Cato vitiliga-
 tores

Appēdix
feminini
gener.

Impres-
sionē, im-
petū mo-
re milita-
ri.

tores appellat, isto potissimū litigandi vitio veluti morbo laborantes, cerebrosa gens & irritabilis, qui sine causa, sine discrimine, clausisq; (quod aiunt) oculis, quodcunque nomen adlatrant: vel qui rursus aduocatione mercenaria, venaliq; sententia, quicunque semel auctorati, atque addicti, quasiq; dediti mancipio sint, eundem tueri pugnaciter, pertinaciterq; quo iure, quaq; iniuria obstinauerint. Vel iactantiaculi illi, & nugiuendi, pleni tumida, sed & fatua coniectura, qui seq; & sua duntaxat etiam sine rivalibus adamant, sibi fauent, alijs obtrebant. Vel postremo lucifugi quidam veritatis, & (vt planius dixerim) blatarij, literatores, qui defluentibus oculis, vereq; nocturnis, non diem tantum sereniorē, sed nec umbram sublustrem satis ferunt. Nam de illis dubitat nemo, quos liuoris tinea comest, quos rubigo subrodit inuidiæ, qui gloriam alterius, suam pœnam, felicitatem alterius, suam carnisfcinam faciunt, qui profectu contabescunt alieno, quos ægrescens, prosperis maleuolētia, ceu tortor intestinus iugiter excruciat. Sed & censores item pulpitarij (nec autem de doctis, bonisq; nunc agimus) solent plerunq; fodicare nos, & studijs ostrepe reistis. Etenim pleni ieiunitatis literas humaniores apud infciam plebeculam, penē dixerim solemniter, buccis cōcrepātibus infamant, & crassa rusticitate feroculi, quam solam (quod & Hieronymus ait) pro sanctitate habent, sic in eas, & earum studiosos ampullosis proclamationibus infrendentes, inspumantesq; defœuiūt, vt facile se declarent etiā Græcos illos improbare, & penē odisse verē sanctas animas, Basilii, Chrysostomum, Gregorios, etiam Latinos, Cyprianum, Ambrosium, Augustinum, Hieronymumq; ipsum, & alios id genus nostræ religionis antistites, gentium, linguarumq;

Vitiliga-
tores.
Pl. in prof.
multos
fore qui
vitiligēt,
di est vi-
tio alli-
gēt, vitu-
perent.

Quod
iure, qua-
q; iniu-
ria, susque
deq; fe-
rentes.

Pulpita-
rij.

Feroculi

omnium disciplinis, velut opibus Aegyptiorum suffar-
 cinatos. Quo mihi etiam videtur admirabilior deliciae
 tuae Marianus hic Genazanensis, nec in theologia cui-
 quam secundus, & omnium quos in ecclesia concionan-
 tes audiui, non prudentissimus modò, sed & facun-
 dissimus, cuius neque suspecta populis ad bonam frugem
 tendentibus eloquentia, quoniam vitae incredibili seue-
 ritate commendatur, nec è diuerso tristis, aut reformi-
 dabilis austeritas, quoniam poëtica delinimenta, pul-
 cramque istam litterarum varietatem, nitorem, delicias
 non aspernatur. Vt igitur lana purpuram bona fide pos-
 tura, certis prius inficitur medicamentis: ita litteris ar-
 bitror, doctrinisq; talibus excoli animos (quod ait in
 Iu. imita- Hortensio Cicero) & ad sapientiam excipiendam im-
 bus. bui, preparariq; decet. Atqui non tamen ob istos pige-
 bit aut exigere stylo: quidquid hoc nostrarum lucu-
 brationum est, aut experiri quid concedatur in illos,
 qui fraudes in litterarum negotio concipiunt capitales.
 Nam & ego Philoxeno ignosco, sicuti Cicero idem ad
 Atticum scribens, redire in carcerem, quàm mancipa-
 re iudicium praëptanti, maxime si non praësentis seculo,
 sed quasi aternitati: prout etiam dictum à Thucydide,
 seruire scriptores conuenit. Eoque libri puto ipsi mo-
 Monumenta numenta vocantur, quòd ad memoriam magis posteris
 cur libri. tatis incorruptius indicaturæ, quàm ad ineptam praë-
 sentis temporis gratiolam, spectare debent. Ergo ut
 quàm maxime (si licebit) hæc non extinguatur solùm,
 sed etiam opprimatur improbitas effuse omnia depræ-
 uantium, nec abeat in exemplum, trita, & prostitu-
 ta frons, atque oris tanta duritia, iam nunc centu-
 rias sequenteis, pro suscepto (arbitror) salutari cona-
 tu, neutiquam ad huius primæ gustum repromittimus.

Quos enim molli nunc articulo tractamus, quos leui, & lento brachio tangimus fortius dein puto prememus, atque vrgebimus, & contenti paulisper interim praelusoria, velitariq; pugna, mox viribus collectis, toto exercitus robore depræliabimur. Quinetiam (quoniam tunica propior pallio) vindicabimus audacter, & gnauiter à plagiarijs, ac furunculis interdum nostra, & asseremus liberali caussa manum. Nostra verò nunc accipi tantum volumus, quæ labore, industriaq; ipsi magna principes extudimus, nec expalpari vnquam, nec extorqueri nobis ea passuri, quandiu licebit, nostra inquam, non eiectionem, sed pignora. Nam vt hæc in medium vice missilium direptui, conculcatuiq; relinquimus, ita illa nobis recipimus, & defendimus: hæc exponimus, illa & agnoscimus, & tollimus, sed ita tamen, vt imitari simias nolumus, quæ suos dicuntur fœtus, quamlibet deformes, pro formosissimis admirari. Nec erunt opinor hæc quoque nostra, quanquam leuioris operæ studia, seu ludicra verius, dedecori tibi Laurenti Medices, cui nunc adscribuntur. Adscribuntur autem non magis ad eò vt me gratum beneficijs tuis approbent, aut reponant gratiam, quòd auxilium te, quòdque consiliarium habuerunt, quam vt auspiciò procedant, & vt in ijs tui memoria frequentetur, ex quo liber auctoritatem capiens magni celebritate nominis commendetur. Tum cui summa studiorum meorum debetur omnis, ab eo quoque portio ipsa iure incipiet. Et hercule veluti bellaria sint ista, secundis accepta mensis. Quoniam rectæ cœnæ speciem, vicemque grauiora illa occupant, qualia tibi multa vel Marsilius Ficinus Platonis, vel Aristotelis interpres Argyropylus Byzantius è philosophiæ penu conzesserunt.

Simiaris
in catulos
amora.

Ficinus
Argyro-
pylus.